



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 561 Usque Ad Annum 633

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117832

§.28. Concilium Parisiense quartum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66072)

Sæculum VI. coriensis Cellulae se inclusit prope Incu-
 A. C. 574. lismam, ubi hodieque Monasterium exi-
Act. Bened. stit, quod ejus Nomen gerit. Multa e-
 to. p. 167. didit Miracula, cumque ipsius Exequia
 Mart. Rom. ducerentur, magna captivorum, quos
 I. Jul. redemerat, multitudo pompam funebrem
 auxit. Obiit vero anno 581. prima Ju-
 lii, illiusque memoriam Ecclesia eadem
 die colit.

§ XXVIII.

Concilium Parisiense quartum.

Eodem anno, quo Gregorius Episcopus
 Turonensis ordinatus est, nempe 573.
 Guntramus Rex omnes Regni sui Epis-
 copos Parisios convocavit, ut Litem in-
 ter Reges Chilpericum & Sigebertum
 fratres suos ferventem componerent.
 At illi Episcoporum Arbitrium respue-
 runt. In eo Concilio, quod inter Pa-
 risiensa quartum est, aderant Episcopi tri-
 ginta duo. Præ cæteris eminebant Phi-
 lippus Archiepiscopus Viennensis, Sa-
 paudus Arelatensis, Priscus Lugdunen-
 sis, qui ante breve tempus S. Nicerio
 successerat, Constitutus Senonensis, La-
 banus Auscionensis, & Felix Bituricensis.
 Post hos sex Metropolitæ leguntur S. Ger-
 manus Parisiensis, S. Felix Nannetensis,
 S. Syagrius Augustodunensis, Sagittarius
 Vapinciensis, S. Anacarius Antissiodo-
 rensis, S. Quinidius Vasionensis, qui 15.
 Febr.

Greg. IV.
 hist. c. 42.
 to. 5. Conc.
 p. 318.

Mart. Rom.
 15. Febr.

Febr. colitur. Omnes Episcopi in Ec- Sæculum VI.
clesiam S. Petri, seu S. Genesevæ con- A.C. 574.
venerunt.

Papulus Episcopus Carnutensis tradi-
dit Patribus Libellum, in quo Causam
proponerebat in hunc modum: *Quamvis*
a Clericis & Civibus consentiente Me-
tropolitano Episcopus electus sim, nihilomi-
nus post elapsos paucos dies Promotus Dia-
cesis meæ Presbyter, qui domum suam nul-
lis Antecessoris mei litteris munitus re-
liquerat, unam Ecclesiarum mearum, quæ
Dunensis dicitur, Titulum Episcopatus
obtendens, invasit, atque Bonorum Eccle-
siasticorum in eadem Ditione sitorum, ne-
scio qua Auctoritate, cepit. Obtestor
vos, ut hæc molimina reprimatis. Quis
enim vestrum parem injuriam Ecclesiæ
sue illatam æquo animo ferret? Nempe
Ægidius Archiepiscopus Rhemensis con-
secraverat Promotum Episcopum Castro-
Dunensem accepto Mandato a Rege Si-
geberto, in cujus Ditione hæc Civitas
posita erat, cum Carnutum Chilperico
pareret. Hinc Patres justam esse Papuli
Querelam arbitrati ad utrumque Episto-
las dederunt.

In Epistola ad Archiepiscopum Rhe- *Greg. VII.*
mensensem dicunt Episcopi; hanc Ordina- *hist. c. 17. Id.*
tionem non tantum contra Canones pu- *IV. c. 45.*
gnare, sed etiam sanæ rationi adversari,
cum Civitas Dunensis, nec Pars Provin-

Sæculum VI. ciæ Rhemensis nec Galliæ Belgicæ esset.
A. C. 574. Ægydium itaque hortantur, ut Promotum deponat, & apud se retineat. Tum subjungunt: *Quia vero Germanus Episcopus Promoto denunciari jussit, ut ad Synodum veniret, & ipse recusavit, scias, nos decrevisse, ut, si vel propria temeritate impulsus, vel cujuscunque demum potentia nixus, usurpatam Dignitatem diutius retinere, Altaria benedicere, confirmare parvulos, ordinare Clericos, aut Papulo Episcopo suo resistere præsumat, a Communione separetur, & Anathemate feriatur, sicut etiam illi, qui, postquam hoc Decretum promulgatum fuerit, cum ipso communicabunt.*

In Epistola ad Sigebertum Regem Episcopi dicunt, credere se non posse, quod inaudito facinori consensisset, & rogant, ut Regia Potestate ad illud defendendum uti nolit, ne iram Dei in caput suum provocet.

Utraque Epistola eadem die tertio Idus Sept. anno Regum duodecimo Indictione sexta, nempe undecima Sept. anno 573. data. At effectum est nihil. Promotus Episcopatum suum Dunensem (quippe Episcopatum esse contendebat) quoad Rex Sigebertus in vivis egit, scilicet annis duobus, obtinuit.